

DEO DUCE & AUSPICE,
DISPUTATIO PHILOSOPHICA
DE

VIRTUTE MORALI
IN GENERE;

QUAM

*Consentiente ac suffragia addente veneranda facultate
Philosophica in illustri & Regia Academia,
qua Aboæ Fennorum est ad Auram.*

SUB DIRECTIONE

Viri Reverendi & Praclariss.

M. NEVALDI SVENONII,

Gyldenh. Al. Eloquentiæ Professoris ordinarij,
promotoris, Fautoris & Præceptoris sui jurgi-
ter honorandi.

*Pro Magisterij Philosophici gradu & privilegijs conse-
quendis, ad publicum desert examen*

ESCHILLUS S. FABRICIUS Smo-
landiâ - Svecus. S. R. M.^{is} Stipend.

*Ad diem 3. Septemb: A. 1659. in Auditorio Majori
horis consuetis.*

A B O Æ

Imprimebat PETRUS HANSONIUS Acad. Typ.

To. Hanni

14 Nov.
à Dno Nic. Ku

Admodum Reverendo & Praclariss. VIRO,

**DN. M. ZACHARIAE P. LUN-
DEBERGIO,** Inclytae Diecepsios Wexionen-
sis Episcopo gravissimo, Meccenati & Patrono suo quovis ho-
noris & obsequij cultu reverenter colendo, prosequendo.

Simul ac

Reverendis, Clariss. & praestantiss. Viris Regij Wex-
Gymnasij **LECTORIBUS,** atq; Consistorij Ecclesiasti-
ci **ASSESSORIBUS** celeberrimis, olim praceptoribus
fidelissimis, nunc verò fautoribus & promotoribus ætatem venerandis.

NEC NON quibusdam Coetus Ecclesiastici in praedicta Diecepsi,

PRÆPOSITIS, PASTORIBUS eorumq; **COLLA-
BORATORIBUS** vigilantiss. fautoribus & benefactoribus
debito honore afficiendis.

U T E T

Reverendis, Clariss. & Praestantiss. Viris & Juveni,

**DN. ZACHARIAE STA-
CHÆO,** Pastori in Pärno di-
gnissimo, ejusdem territorij
Præp. Vigilantiss. fautori suo
multum venerando.

**DN. M. HEINRICO
CARSTENIO,** Pastori in
Borgo meritiss. promotori ex-
optatiss. à quo ferè, tota, hæc
salus dependerat mea, pa-
tris adinstar reverenter quo-
vis honore ac obsequio prosequendo.

**DN. GUDMUNDO J.
ROTHOVIO,** Templi Cathed-
ralis quod Aboæ est Oeco-
nomo fidelissimo Sympatrio-
tæ & benefactori suo singula-
riter honorando.

**DN. JOHANNI GOT-
FRIDI Kossamp** philosophiæ
Studioso perassiduo, ut Di-
scipulo per quadriennium ob-
bedient. Ita nunc fautori &
amico dilectissimo.

*Dissertationem hanc simplici colore conspersam & loco examinis pu-
blici propositam, in animi gratiam & ex merito & certam sui pro-
movendi spem reverenter, officiose & amice inscribit, dedicat &*

offert

Auth. & Resp.



Uamvis homo, præclarum illud Dei Opt. Max. opus, platonis *Σύμμα Τετραμύτων*: Pythagoræ mensura rerum cœterarum: Plinio Mundi Epitome & naturæ delictum appellatus, post lapsum protoplastorum maximè obscuratus ac depravatus sit, undè nunc illum duplici laborare morbo scilicet *Veri ἀγνοία* & *appetitus ἀταξία* dici usu venit, imò non solum dici hoc, verùm etiam revera ita esse, prohi dolor & pudor, deprehendimus, quotidianâ experienciâ comprobante; *Ignorantia* quippe intellectum, *malitia voluntatem* infecit, adeo ut quisvis mortalium *πολυθρύλητον* illud Medæa ingeminare effectusq; ipso sentire necessum habeat:

Video meliora proboq;

deteriora sequor.

Eum tamen non penitus ac ita perditè (Deo æterna laus) depravatum esse constat, quin aliquas habeat naturales scintillulas in sese residuas, puta prima illa principia nobiscum nata, quæ adhuc indies magis magisq; primò S. S. gratiâ, *Philosophia* deinde studio restaurari ac perfici possunt: Nam *philosophia theoretica intellectum hominis* sanat ipsiq; fulgorem veritatis infundit, & ab eo errorum arcet, dissipatq; tenebras; *practica* verò *voluntati* medetur; eamq; à pravis *actionibus* & vitiosis habitibus varijs depurgat atq; abstergit, dum *hominem* informat ad consequendum *bonum civile*.

Ne autem ego (propius ut ad institutum accedam) planè meis partibus in prædicto studio philosophico deesse videar qualescunq; ingenij tyrocinium editurus pro modulo ingenij (quod fateor esse valde exiguum) ex *Philosophico viridario* herbam illam

rarissimam nempe *Virtutem* *moralem* in genere rumi-
 nandam & publici *Examinis* iudici subiciendam ex-
 cerpam. Suasit id dulcissimæ *Materiæ* nobilitas, imò uti-
 lissima ejus necessitas id à me obtinuit. Nam *hæc ho-*
minem extollit & supra astra, *Teste Sap. Senecâ*, evehit.
Hæc nos à beluis separat: *Hæc* dignitatem nostram de-
 fendit: *Hæc felices* nos & verè *beatos* reddit: *Hæc* Deo
 similes præstat; nosq; *societatis* quodam vinculo Angelis
 conjungit. Et quis paucis ejus condigna præconia pos-
 test deprædicare? *Tu Virtus* firma bonorum possessio,
 cæteris bonis ablatis tolli nequis! *Tu* blandum senectu-
 tis viaticum adeò nescarium, ut aqua & igni, ut dici solet
 quivis destitui possit potius quam *te*. Sine *te* enim vel
 ingeniosus & eruditus, in eos qui leviter offenderint
 vulpinâ calliditate irrueret: Sine *te* robustus & animo-
 sus in obvios quosq; humiles grassaretur: Sine *te* valen-
 tissimus in diem securè viveret cuticulamq; curaret.
 Sine *te* dives & opulentus non *ἰνεργεῖς* sed *ὑβρις*
 esset immanissimus, & omnia pecunijs esse venalia atq;
 expiati facilima putaret: Sine *te* honoratus & autori-
 tate fortuita conspicuus, accipiter esset inter aviculas, lu-
 cius inter pisces, leo inter quadrupedes. Sine *te* albæ
 gallinæ filius vix sibi temperare posset. Ut rem verbo
 complectar: *Virtutis* expers qui est, *etiamsi* ingenio *Ari-*
stotelem, scientiâ *socratem*, Milonem robore, *Celtas* audaciâ, *Ne-*
storem atate, *phaonem* pulchritudine, *Midam* divitijs, *Seja-*
num honoribus, *polycratem* continuâ felicitate superaret, tamen
 homo esset miserrimus, & similimus porci, qui in hara jam
 jam lanionis cultellam suo excepturus jugulo saginaretur. *Vir-*
tus igitur, quæ his alijsq; dignitatibus ac eminentijs ab-
 undat, omnibus amanda, ambienda & deoseculanda me-
 ritò erit. *Deus* omnipotens qui omnis sapientia, misericordia

Et veritatis largitor propensissimus est, hujus opella conatusq; mei
felix auspicius, medium felicius, Et exitum felicissimum esse
jubeat!

THESIS I.

UT autem hic tractatus apparatu opulentiori inchoetur, decenti ordine continuetur absolvaturq; (ne forte hocce destitutus, huc atq; illuc in varias confusionis partes trahatur) in primo ipsius limine intimationem quandam presenti instituto pomœria sua certa, ultra quæ divagari, non licebit, determinantem suspendere lubet. 1. itaq; *quæstio an sit* breviter attingenda. 2. De *quæstione quid sit* cura erit; pro cujusq; declaratione uberiori 4. *causarum* indagatio subnectenda. Atq; 3. deniq; de *divisione & opposito* nobis erit inquirendum.

2. Ne igitur de vano & fictitio quodam philosophorum commento, hæc dissertatio temerè institatur, non immeritò ad primum propositum juxta datam fidem lentè progredimur, urgendo nimirum *quæst. an sit*, ne quispiam in dubium vocet num deter *Virtus moralis* de qua nunc agemus? Verùm cum ipsa experienciâ ex humanis actibus petita, & unanimi clariss. philosophorum, tam veterum quem recentiorum consensu & autoritate confirmatâ, satis evidentè probari possit *Virtutem* dari, non videtur operæ pretium huic *quæstioni* diu immorari. Videat cui placet acutissimum Suarez. de hoc & alijs habitibus prolixè differentem, disp. Met. 44. sect. 1. n. 2. Nec non Nobiliss. & consultiss. D. Gylmsf. coll. Eth. disp. 3. Th. 3. Et sanè quid notius quam actuum frequentatione acquirere nos in operando miram promptitudinem. Data namq; & relicta est *homini* non modò *ratio*, tanquam fundamentum *virtutis*; sed etian potentia *bonestè agens*

Ad agendi, positus itaq; causis non impeditis, effectus etiam ponitur. Deinde fieri potest homo particeps beatitudinis; ergo etiam virtutis, siquidem hac est medium ad illam perducens; & sic posito consequente, ponitur antecedens. Deniq; Vicia in hominem cadunt, quod extra omnem controversiam aleam est: E. & virtus in eodem locum habere potest, juxta tritum canonem: opposita circa idem versantur. Sed plura pro ea re stabilienda, qua luce meridianâ clarior est, afferre supervacaneum esse videtur.

3. *Quaestionem An sis, non malè excipit quaestio quid sis, quâ essentiam ingenium seu naturam ejus pervestigamus, quæq; definitione explicatur: Definitio autem vel est Nominalis vel Realis. In Nominali tria veniunt prælibanda: Notatio Nominis, varia vocis acceptio, & deniq; Æquipollentia.*

4. *Ἔτυμολογία* quod concernit, sepositis notationibus falsis, ridiculis, ineptis & planè inutilibus. Dicitur 1. Latinis non à vi seu violentia (quid enim illi cum virtute negotij in qua libera & voluntaria sunt omnia, nulla coacta) sed à viro uti Cic. lib. 2. Tusc. q. Alijs venit à virore & vigore non quod sexus fœmineus à virtutis participatione excludatur, sed quod viro maximè congruat, quippe cui natura majorem vigorem, vires & dotes ampliores contulit. Eleganter etiam non nemini Virtus quasi virum tuens dicitur, eò quod virtus homines instar clypei & seuti contra quosvis exuberantium affectuum & infortuniorum impetus protegat & tueatur.

5. 2. Græcis ἀρετή vel ab ἀρε, congruo, apto; ut sit congruentia cum recta ratione: Vel παρὰ τῷ ἀρε à Marte per synecdochen, quod ἀρετή principio fortitudinem denotârit, quæ tempore Martis maximè elucet Scal. Exerc. 300. f. 3. Vel ἀπὸ τῆ ἀρε, à tollo, quia virtus ho-

mines

*mines ad summa & maxima elevare & attollere confve-
vit.* Liebenthal Coll. Eth. Exerc. 3, Th. 3. Vel ab ἀρεῶν αὐτῶν
eligo, quia maximè eligenda & appetenda est virtus,
tum quòd vel προαίρεσις sit, vel certè non sine προαί-
ρέσει, animi. Quibusdam deducitur ἀρετὴ ἀπὸ τῆ ἀ-
ρέσκων, quod omnibus placeat aut placere debeat. *Quæ
notationes omnes, rem maximè arguunt commendabilem.*

6. Ὁ μὲν οὖν ἄριστος quod spectat, vocabulum virtutis var-
riè sumitur: interdum generalissimè, quatenus omnibus
rebus competit & inest, in hac latissimâ significatione mo-
dò perfectionem essentia & essentialis proprietatis rei
alicujus significat; modò quæcumque inanimatorum
vim, seu agendi potentiam denotat, qualis est in magne-
te ferruum trahente, in igne aurum à scorjjs repurgante; in-
terdum notabiles animatorum quarundam specierum
proprietas, virtutes dicuntur, ut aquila ad plenum Solis
jubar intuendum, equi ad currendum; Quandoq; effecta
alicujus rei virtutem dicimus utpote demonstrationis virtus
est scientiam parere Arist. 1. post. l. 16. Deniq; in homine
virtus magis propriè sedem meretur, & sic vicissim di-
versimodè accipitur & acquiritur: 1. per naturam; qualis
est singularis & eximia alicujus hominis indoles vel incli-
natio ad diversa percolenda studia. 2. per infusionem;
qualis Virtus est habitus infusus, ut fides, spes, charitas &c. 3.
per exercitia, qualis est vel corporis, ut robur, sanitas, pul-
chritudo &c. Vel animi, eaque tum intellectus, ut intel-
ligentia, sapientia, scientia, prudentia & ars, tum volun-
tatis, quando habitus animi frequenti actuum moralium
exercitio acquisiti, hq; electivi & ad mores pertinentes
nomine virtutis veniunt.

Hanc virtutis significationem ultimam, omnibus alijs.
sepositis, præsentī disputatione arripimus.

7. *ἡ ἀρετὴ μέση* pro præsentī sunt: *Virtus Moralīs, prudentia, bonitas, medium* ducens ad *beatitudinem* seu *summum bonum civile*. Hic verò non *medium* intelligendum quatenus est inter duo vitiosa extrema *excessum* sc. & *defectum*, sed quo ultimis finis ab efficiente acquirendus sit.

8. Hiscæ præmissis, ad *πραγματολογίαν* seu *realem* ipsius *virtutis definitionem* properabimus. Variæ quidem circumferuntur *virtutis moralis* definitiones, sed quoniam maxima pars earum, parùm naturam & essentiam *virtutis* explicent, ijs igitur omissis binas hic adferre & inspicere allubescit, quarum una est Arist. Philosophorum phosphori petita ex lib. 2. *Eth. c. 6.* & hunc in modum formata: *Virtus est habitus electivus in mediocritate consistens quoad nos relata, & ratione definita, seu ut vir prudens eam definiens; altera est Nobiliss. D. Syllensf. Erg. virt. p. 4. & Coll. Eth. disp. 3. th. 6.* Ubi definitur *virtus promptitudo in homine agendi secundum honestatis normam, quâ affectibus omnibus tale injungitur moderamen, ut tranquillus & beatissimus, qui in hoc mundo haberi potest status, obtineatur.*

9. Quæ definitiones quamvis verbis non nihil ab invicem discrepent, re tamen ipsâ optimè concordant, & conspirant, dum inter sese conferuntur, nam quid est *promptitudo* in homine longo rerum usu parata & roborata, aliquid eligendi vel repudiandi, aliud quàm *habitus electivus*, quo in agendo determinamur ad aliquid abq; difficultate præstandum, Quoniam verò hæc posterior dictis locis, optimè invenitur explicata atq; exposita priorem paulò penitus inspiciemus.

10. *Virtutis* itaq; Genus habitum esse omnes saniores hæc firmissimâ ratione suffulti asserunt: *Virtus enim qualitas est animi.* Tria verò dantur actionum humanarum principia in animo. 1. *δύναμις* 2. *πάθος*. 3. *ἔξις*.

Ad

Ad unum horum *Virtus moralis* referenda est, non refertur ad *divina* aut *ædificatoria*, à facultatibus & affectibus enim nec *bonus* quisquam nec *malus* rectè denominatur, facultates enim nobiscum connascuntur & indifferenter se habent ad *probitatem* & *improbitatem*; & affectibus commovemur, non sumus, neq; dicimur tales. Relinquitur E. quod *virtus* sit *habitus* & quidem *Electivus*, quippe per *actiones proæreticas*, quæ à iudicio mentis & electione *voluntatis* sunt, paratur, quia etiam *electivas* edit *actiones*, adeoq; per hoc *habitus intellectus*, qui non in *electione* contingentium, sed in cognitione rerum necessariorum consistunt, à *moralibus* distinguntur, imò eandem ob rationem distinguntur *actiones virtutis* ab ijs quæ naturaliter, casu, temerè & per ignorantiam, hypocrisis vel per violentiam fiunt. Confer. Burg. Id. ph. mor. c. 11. Vendel. Eth. c. 3. Th. 2. q. 1. p. 98.

11. *Differentia definitionis, ex concursu omnium causarum* deprompta patescit, quas singulas uberioris declarationis gratiâ, enumerando percensebimus.

12. *Causa virtutis efficiens universalis*, est Deus Ter. Opt. Max. qui uti omnis boni fons atq; origo, sic quoq; *virtutis* causa efficiens existit. Non enim solum aliqua *virtutum* semina & discrimen honestorum ac turpium naturæ humanæ implantavit, verum etiam quotidie per certa & ordinaria media nos ad *virtutis* studium excitat.

13. *Particularis autem interna*, est bona indoles, quæ ad *virtutem* percipiendam plurimum momenti affert, si enim naturalis aptitudo abest, hircum mulgebis, de consuetudine *virtutis* introducendâ si laboraveris. *Externa* remotior est, honesta parentum educatio, & fidelis præceptorum informatio. *Hujus* quanta sit utilitas vix æne vix quidem deprædicare possumus. Agnovit eam

Crates ille apud plutarchum, si possem, inquit, audiri ab omnibus hominibus, conscenderem turrin & clamerem, quò ruitis homines, qui colligitis & corraditis numeros, & interim educationem liberorum negligitis! Agnovit & eam præter ceteros Philippus Macedonia Rex, qui non tam gratulabatur sibi de nato filio Alexandro, quàm quod eo natus esset tempore, quo Arist. uti posset præceptore; Propinquior est, bonarum actionum frequens exercitium: una hirundo n. non facit ver. Ut namq; acquiratur in gradu perfecto Virtus (sicut omnis habitus acquisitus) creberrimæ actiones requiruntur.

14. Sed ut melius innotescat quo respectu actiones morales sint causæ virtutis sciendum eas esse in triplici, differentia, 1. quatenus hominem bonis moribus assuefacere coeperunt, & ita disponere, ut ad culmen virtutis plenis passibus grassari queat, eo jam modo cause Virtutis propinqua salutantur. 2. prout virtutum præceptis ad rectitudinem rediguntur, quomodo objectum Virtutis externum audiunt. 3. prout post habitum considerantur, quatenus honestæ jam & continuatæ, formalem rationem Summi Boni constituunt, & Virtutis effecta eo respectu sunt.

15. Notandum hic obiter venit cum actionem moralem causam Virtutis statuimus, non hic à nobis intelligi actionem invitam, qua quis vel vi coactus vel per ignorantiam quid committit. Sed spontaneam cujus principium est in ipso agente & singulas circumstantias sciente. Coactus enim vel per ignorantiam quid committens, minus laudis aut præmij minusve reprehensionis aut pænæ mereri consuevit. Spontanea actionis principia ab Ethicis tria statui solent: 1. βέλους consulentio, actus intellectus, quo de medijs ad finem ducentibus ratiocinatur. 2. προαίψεως prælectio, actus ille voluntatis, qui ea eligit quæ in
nostra

nostra potestate sunt, factio initio ab ijs sine quibus ad reliqua aditus non patescit. *βέλγησις* *volitio*, quæ est appetitio boni cum ratione: Atq; hoc modo actio tandem peragitur: *Intellectus* verè bonum vel malum, honestum vel inhonestum, intelligit, iudicat, deq; eodem concludit; *Voluntas* appetit, vel renuit; *appetitus* de hinc *sensitivus*, rationi præscribenti & voluntati eligenti morem gerit. Unde demùm *actio Moralis* seu executio rei volitæ subsequitur: ex his oritur *liberum arbitrium*, quod est facultas hominis, quâ voluntas pro lubitu secundum intellectus iudicium, quid vult & non vult.

16. *Materiam ex qua non agnoscunt accidentia, neque ergo Virtutes.* In qua seu subiectum si quæris, *Denominationis*, tibi obviam ibit homo; Si verò *inbationis*, ipsam voluntatem seu appetitum hominis rationalem invenies, Ubi enim stabulatur *electio*, ibi etiam *virtus*; cum sit habitus electivus. Ut *speculativæ* obscurato intellectui, ita *voluntati morales virtutes* medentur. Circa quam seu objectum internum, si venaris, affectus habebis. Horum subiectum est *appetitus sensitivus*, cujus cum duæ sint facultates, *concupiscibilis*, habens pro objecto bonum prosequendum, & malum fugiendum; & *irascibilis*, respiciens bonum & malum arduum, hinc sigillatim undecim enumerantur, sex in concupiscente & quinque in irascente facultate sese exerentes, qui quidem in se considerati quatenus motiones sunt *appetitus sensitivi*, *Physices* considerationi directè subsunt, *moraliterq;* nec boni nec mali sunt. Quatenus verò non radicatus extirpandi ac averruncandi juxta *Stoicorum nonnullorum* erroneam opinionem; sed temperandi & frano rectæ rationis regendi atq; capistro prudentia domandi sunt, sic sedem in *Ethicis* inveniunt.

17. *Forma virtutis Physica non datur.* Ut enim mon-

strosa & absurda est *virtutis materia* propriè ita dicta; ita & monstrosa ac absurda futura esset *forma*, propriè ita dicta, κατ' ἀναλογίαν autem & impropriè *forma est ipsa rectitudo & congruentia cum honestate*, & *recta rationis norma*; seu, quod idem ferme est, *laudabilis mediocritas*, ad vitiosa *extrema nunquam deflectens*. *Mediocritas enim & congruentia cum rectitudine*, tam arcto nexu cohærent, ut pari passu ferè ambulent, cum unum sine altero esse aut existere nusquam possit, adeò ut si *formam Virtutis Mediocritas* non constituat, ejus tamen immediatum ad-*jectum & essentiale consequens omninò sit*. Heid. part. 2. Philos. Mor.

18. *Medij* ubi facta est mentio, apprimè observandum, hic intelligi non *medium indivisibilitatis*, ut sic loquar, sed *latitudinis*; non *participationis* quatenus extrema sunt vitiosa; Non *medium Rei* quod ab utroq; extremorum secundum *proportionem Arithmetica*m æquali distat gradu ac intervallo. *Tale est in circulo centrum seu punctum medium*, quod à circuli peripheria æqualiter distat; Sed *Rationis seu personæ*, quod secundum *proportionem Geometricam* uni extremorum vicinior, ab altero verò remotius est. *Sic fortitudo vicinior audacia est, quàm timiditati.*

19. *Virtutis moralis finis* est sive cui, est homo, in cujus commodum *actiones* instituuntur: *Cujus*, absolute summus est gloria Dei, omnia enim à Deo omnia ad Deum, cuncta enim bonum ei in laudem quærent, unde prodierunt; In suo genere summus est *Beatitudo civilis* seu *summum bon.* ad quod per *Virtutis* tramitem homo dirigitur.

20. Consideratis & cognitis *causis virtutis*, ad *distributionem* ejusdem rectà accedimus, ubi sepositis aliorum
divi-

divisionibus, quas apud varios *Ethicos* videre licet, cui volupe fuerit, tutissimam duximus illam (licet in se & sua essentia considerata extensionis & remissionis experta sit) tamen ratione existentiae & subjectorum, cum *Nobiliss. Conf. D. Gyllen. coll. Eth. disp. 8. Th. 32.* Vel secundum gradus, vel species dividere. Tres enim sunt virtutum moralium gradus seu respectus in uno subjecto, juxta nuntium *Casp. Barth. Ench. Eth. c. 9:1.* Est incipientium, vocaturq; gradus continentiae, ad quem inchoata seu imperfecta virtus refertur cum affectus & cupiditates inordinatae recta rationis ductum sequuntur quidem, verum cum aegritudine aliqua & oblectatione. 2. Proficientium ac perfectorum, dum pacatiores fiunt & magis reprimuntur affectus, nec ita vehementes sunt, huc communis seu consummata virtus spectat. 3. Perfectissimorum & heroum, cum ita cohibentur affectus, ut vix aut rarissime se rationi opponant.

21. Unicam esse Virtutem specie, cum Stoicis referente *Platarcho lib. Virt. Moral.* quae diversis ab objectis, & diversis circa eadem actionibus, diversa fortiatur nomina, non secus ac idem ignis pro materiae, in quam agit diversitate, diversas habet operationes, firmiter statuere consultum esse non ducimus. Diversas in homine esse inclinationes nemo jure inficias ibit. E. forma dandae diversa has proclivitates perficientes, inquit enim Poeta:

Hic satus ad pacem, hic castrensibus utilis armis.

Nature sequitur semina quisq; sua.

Distinctos etiam appetitus regunt virtutes, aliae quidem ad iracundiam; aliae ad concupiscentiam pertinent: Quae autem subjectis differunt, suo modo re ipsa differunt. Diversis deniq; a principiis oriuntur; quare eadem esse mi-

nimè possunt, *Confer. Heid. Phil. Moral. part. 2. p. 33.* Quæ tamen omnes ad hæc duo capita, sufficienter, quoad vitam civiliter beatam acquirendam, haud incommodè reduci queunt, quippè quæ vel scripturâ teste perficitur Dei cultu, quem pietas præscribit & dilectioni proximi nostri, quam probitas moderatur. Hæc etiam divisio in ipso fundatur decalogo, qui nihil aliud est quam divinæ Ethicæ compendium, duabus constans tabulis, quarum prior officia pietatis Deo; posterior munia homini debita jubet, *Vide Vendel. Phil. Mor. Lib. de recta vitâ. c. 6.*

22. *Contrariorum eadem est scientia, teste Philosopho, quare in Ethicis non tantum de virtutibus agendum, sed etiam de vitijs & extremis. Cognitâ itaq; Virtutis Moralîs naturâ, quid ejus sit oppositum (quod in hac dissertatione solum restat tractandum) faciliè dispalescit, sc. Vit. Esq; habitus electivus cum Mediocritate, recta ratione & viri prudentis judicio pugnans. Heid. Phil. Mor. part. 2. p. 283.* Vel ut alijs placet? *Vitium est promptitudo malè agendi contra honestatem & recta rationis normam; quâ affectibus sua permittitur licentia, adeoq; vel in excessu vel defectu peccatur.*

23. Undè facile liquet vitium non existere præcisè loquendo, ubi vel semel, ex affectu aut ex imbecillitate aliqua quispiam impingit, sed ita, cum comparatus jam animo constans actus sit, ut quod facit deliberatò faciat, & actionibus ejusmodi assueverit.

24. *Opposita seu extrema illa, quorum in medio quævis Virtus consistit, excessus & defectus, quæ uno vitio comprehenduntur, minus habent diversitatis, sicut manifestum est exemplo injustitiæ. Duo verò distincta vitia oriuntur, quoties distinctæ existunt actiones, quarum*

una tantum excedit modum, altera tantum deficit, sicut ceteris in vitijs omnibus contingere manifestum est.

25. Pro coronide duo notanda veniunt: 1. *Vitium privativè & contrariè Virtuti* opponi, diverso tamen respectu: *Contrariè*; quatenus quoad amplitudinem suam seu totum complexum ex actu & *revertitudinis* defectu simul spectatur; *Privativè*; quatenus quoad formalem *revertitudinis* carentiam & *ἀραξία* solam, *conformitati* directè oppositam, consideratur. 2. *Vitia* respectu *Extensionis*, & quoad *objectorum latitudinem* & actuum collationem magis sibi invicem quàm *virtuti*; Ratione vero suæ indolis, magis *virtuti* quam sibi invicem opponi. Hæc obiter saltem pro præsentis instituti ratione de hac *Nobiliss.* materia dicta sunt.

*Sit pater ô rerum, tibi laus, tibi gloria soli,
Omnipotens, sapiens & sine fine Deus.*

PARERGA.

1. Grammatica Authoribus auctoritatem debet.
2. Tropus non potest esse in copula.
3. Definitio perfecta est specierum.
4. Angelus non est in loco propriè ita dicto.
5. Anima rationalis est tota in toto corpore, & tota in qualibet ejus parte; à parentibus etiam per traducem propagatur.
6. Bellum Christianis gerere licet.
7. Circuli in cælo reales non dantur, sed ad certius demonstranda phænomena, ab Astronomis ficti sunt & inventi.

Ad
Candidatum Virum,;
DN. ÆSCHILLUM FABRI-
CIUM, ὁμοχώριον & amicum per dilectum;
pro gradu Magisterij, eruditè disputatu-
rum προσφώνησα

P R Æ S I D I S :

Dominus H O N O R
Invidiam virtutis comitem fugat.

Elaboratio :

UT segetem, canas cum jam producit aristas,
Florentem rodit cantharis, utq; rosam;
Sic quò prompta magis se tollit in athera virtus.
Invidia flammis uritur ipsa magis.
Ut Phœbo radiante solet precedere euntes
Umbra vel invito, subsequiturq; comes :
Sic precedentem sequitur, sic prævia & anteit
Gloria virtutem duxq; comesq; tuam.!



Ad Præstantissimum & præclaræ Eruditionis Vi-
rum - Juvenem

DN. ÆSCHILLUM FABRICIUM
SMOLANDUM Pro summo in Philosophia gra-
du egregiè disputantem honoresq; Magisterij meritissimè ad-
euntem fautorem & amicum suum maximè
colendum, honorandum.

Virtute nullam possessionem nec honestiorem, nec du-
rabiliorem esse, tam certum est, quam certissimum;
adeò

adeò, ut, Plato, omnes opes, omnem rerum copiam virtuti cedere, dixerit. Equus generosus, teste Socrate, judicatur, non quidem sumptuose ornatus, sed eximius natura: itidem nec vir honestus, qui opibus prædives, sed qui animam VIRTUTE præditam gerit. Agesilaus rogat⁹, quomodo quis maximè apud homines probaretur? Si dicat, inquit, optima & faciat honestissima. Virtus enim ejusmodi est, quæ ipsis statim rebus gestis ita afficiat homines, ut non modò admirentur opera, verùm in authorem quoq; summo studio incendantur. Hinc virtus de se ipsa, pro ut illam inducit loquentem, ille Silius Italicus:

Mecum honor & laudes & lata gloria vultus

Et decem & niveis victoria consolor alis:

Me cinctus lauro perducit ad astra triumphus:

Hæc multarum ac grandium rerum facultas, conciliatrix & conservatrix, VIRTUS, ita Te, Doctissime Fabrici, cepit, ita arctè te adhuc tenet, ut, nihil Tibi pulchrius nihil gratius, nihil suavius occurrat, quàm in ejus laudem & calamo & studio, teste hac tuâ solenni inaugurali disputatione, proflire: Virtutem coluisti, quæ te ad honoris fastigium evehit. ô gloriosam istam virtutem! Non ita pridem, mi Fabrici, redditæ sunt mihi literæ tuæ quibus scribis de honore illo Academico, studiorum fructu & præmio, gradu nempe Magisterij, quem hoc anno, favente ac annuente Veneranda, in regia Fennorum Academia, Facultate Philosophica, consecutus es; quam certè dignitatem, operâ, studijs, vigilijs atq; laboribus haud exiguis, dudum meruisti; quibus accedit eruditio tua non vulgaris, quæ ita in te fulgeat & emicet, ut ferè palmam alijs præferre videaris. Plurimum igitur Tibi, Præstantissime Dn, Candidate,

C

ut des

ut debeo, gratulor, ut quæ sempiternæ laudi tibi ac reip.
Christianæ emolumento sit iste honor, exopto. Vel-
lem tantum abs re mea otij esse, ut coram tibi adesse,
& lætitiâ, quam ex rebus. tuis secundis percepi,
præsens testari voce possem; sed cum id per va-
rias occupationes mihi non liceat, affectus erga Te
mei interpretes esse volui hæc literas; quas eo ani-
mo, quo à me proficiuntur, accipies, & ne pedissequa
illa novi honoris arrogantia, animum tuum mutet, se-
dulò cavebis

*Hæc scribens, video, Fastis tua nomina poni,
In sacro Genitrix qua tibi fonte dedit.
Æschillum nostrum veteri pro more ligandum
Duximus; ergò lubens vincula honesta cape,
Addo preces vinculis castas: fœlicibus opto,
Auspiciis servent hunc mihi fata diem,
Sospite te faciant hanc sæpè recurrere lucem,
Ut clarum reddas nomen in orbe, Vale.*

Borgâ dab. ipso die Æschilli, volante ca-
lamo, 1659. T. P. ab officijs
HEINRICUS CARSTENIUS
Pastor.

IN bello ut miles fortis fortem fugat hostem,
Ornatur donis afficiturq; bonis:
Sic tua constanter te exornat pugna peracta,
Ipso quod factò Comprobas ipse tuo.
Doctrina inscitiam, stravit tua vitia virtus,
Ergo tibi est debitus nunc tribuendus honos.
Quod felix, faustum Docto tibi cedat in ævum!
Sitquæ Deo gratum, prosperet & patriæ!

Debiti officij declarandi ergò lubens Mq; apposuit
ARVIDUS MAGNI COLL. SMOL.

Qui

Qui cupit ad summos Sophia conscendere honores,
Excolit is clarij Numina casta chori.

Et tribuet studijs insomnia tempora sacris,

Quò faciat Musis sedulitate satis.

Ast fuerat pugnax ÆSCHILLUS miles in arvis
Musarum & vigili constitit usq; sibi.

Testis de Virtute fiet cuius diatriba

Præfens, eximia dexteritatis opus!

Ergo feret meritum FABRICIUS jure Brabejum

Quòd studijs claris hæcennis incubuit,

Gratulor ergo tibi te Christus sponte secundet!

Annuat & captis Lux! Via! Vita! Salus!

Sis felix, memoriq; tuo me pectore gesta:

Hac tibi porrectâ vota revolve manu.

Præceptorî suo privato ut fidelissimo,
ita amantissimo, amoris debitaq; ob-
servantiæ ævæ gratulatur

JOHANNES GEORGII SYLVIVS
ABOENSIS.

Conatum collaudo tuum præceptor amandè,
Cum clari monstras ingenij Specimen.

Te En Æschille juvat Musas coluisse per artes,

Gnaviter & studijs invigilasse bonis.

Hinc tibi ritè dabit viridantia ferta ophiæ

Et digitum ornabit gemma, Magister eris.

Quod superest faustum tibi præcor hancce coronam.

Gloria sic niteat nominis inde Dei.

Et patriæ dulci veniant hinc commoda multa,

Fac (quæso) votum pondus habere, Deus!


Ita præceptorî amando, quamvis tenui venâ, honoris &
fausti ominis Ergo gratulabatur

HEINRICUS H. CARSTENIUS Junior.
Præstat

Prestat divina studium quid nosse σοφίας
 Quæras? En confert docto memorabile nomen!
 Corde mero grator tibi nunc praeceptor amande
 Cum primum Sophien pervolvère mente volebas;
 Te faciet clarum, Te júbila magna sonabunt.
 Perge modo simili dulces libare liquores
 Castalides; grandi multos tunc ore docebis.
 Vive valeq; diu, tibi cæpta Jehova secundet.

Gratitude & lætitiæ decla-
 randæ Ergò ita rudi & ni-
 mis festina manu tumul-
 tuariè ex animo tamen ap-
 plaudebat

O L A U S Z. S T A C H Æ U S.


Tῆς ἀρετῆς ἐδὲν δύναται προημώτερον εἶναι,
 Ἰσοφαλῆς πλῆτ' καὶ κτήμα βροτοῖς λελεγμένης,
 καίγ' ἰσοφόρον ἔν, δῶταί μὲν τ' ἐκέτι ταύτης
 ταύτην συγχάιρω σοι, τ' ἈΙΣΧΥΛΕ κόσμῳ, κἀσπερ
 εὐχομαι ἐντυχίαν πολλήν, ὧ κρᾶτις ἑταῖρε,
 χαῖρε νυγὶ πλεῖστον, χρῆσός τοι δ' ὄλβια δαίη
 τῷ φίλῳ βεβαίῳ καὶ ἐνδόξῳ ἐνχώρῳ τῇ
 τῆς σοφίας προκοπῇ συγχάιρων.

A M B R O S I U S S. N I D U L I U S
 Smolandus.